DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
CAVTELIS NONNVLLIS
CIRCA CVRATIONEM
FEBRIVM GASTRICARVM
OBSERVANDIS,

QVAM
ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS
AVCTORITATE
IN
VNIVERSITATE LITERARIA VIADRINA
AD
CAPESSENDOS SVMMOS
IN
MEDICINA HONORES
PVBLICE DEFENDET
DIE XXXI. MARTII MDCCXCVII

AVCTOR
ASCANIVS GVILIELMVS KLEEBERG
REGIOMONTANVS.

auctoris dono

TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

VIRO ILLVSTRISSIMO

GENERIS NOBILITATE MVNERVM AMPLITVDINE

MERITORVMQVE IN PATRIAM GLORIA

MAXIME CONSPICVO

COMITI DE HOYM

POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI

IN

SILESIAE ET BORVSSIAE MERIDIONALIS

GERENDA RE PVBLICA

ADMINISTRO INTIMO DIRIGENTI

ORD. AQVILAE NIGRAE EQVITI

ETC. ETC.

DOMINO

SVO INDVLGENTISSIMO

HANC

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

IN

SVMMAE PERPETVAEQVE VENERATIONIS

TESSERAM

DEVOTISSIMA MENTE

D. D. D.

ASCANIVS GVILIELMVS KLEEBERG.

GENERALIA QVAEDAM.

§. I.

Febris gastrica nuncupatur febris remittens, in qua, vt febres pituitosas puras hic non respiciam, polycholia quaedam, vt symptoma constans et essentiale, apparet.

§. II.

Symptomata cum hac febre coniuncta diuersa sunt, prouti materia vel in primis vel in secundis viis haeret. Materia gastrica in primis viis ex debilitata viscerum abdominalium conditione, perspiratione impedita et vitae genere miserrimo ortum ducit. Signa sordium hic gastricarum statim luculenter apparent. Quodsi materies sursum turgescit, praeter generalia febrium symptomata, inuenimus: languorem totius corporis, subitaneam debilitatem, molestam et anxiam sensationem in praecordiis, linguam humidam, flauam, nauseam, vomiturritiones, tremorem labii inferioris, saporem amarum, dolorem in fronte. Si autem materia

teria deorſum turgeſcit, laſſitudo et grauitas quaedam in genubus, dolores lumborum, borborygmi ac flatus, dolores colici, ventris diſtenſio, alui egeſtiones mali coloris ac odoris, vrina iumentoſa, et alia ſymptomata ex ſcriptis celeberrimi Stollii, Lentinii, Tissoti et aliorum virorum clariſſimorum facile petenda, obſeruare licet.

§. III.

Si materies in ſanguine latet, nulla ſigna ſordium topica inueniuntur, ſed ſymptomata febrilia, ſaepe valde grauia. Pulſus neque debiliſſimus neque fortiſſimus, ſed celerrimus, vt perſaepe vix numerari poſſit: ſapor amarus ſine vllis ſignis ſaburrae in lingua, facies aegroti praerubra, quaſi minio picta et prope commiſſuras labiorum et narium pinnas pallor ex flauo vireſcens; ſplendor oculorum quaſi lacrymis innatantium; exporrectae linguae tremor, tremula inferioris labii inter loquendum micatio. Quae ſigna ſtatim hanc febrem ab inflammatoria diſtinguere valent. Si autem medicus adhuc dubius erit, venaeſectio parua ſtatim luculenter errorem ſuum oſtenderit; pulſus enim poſt hanc venaeſectionem valde decreſcens, debilitasque aegrotantis ſtatim poſt eam aucta, naturam morbi diſtincte oſtendent; quod quidem illa debilitatis ſigna poſt ſanguinis miſſionem in febribus inflammatoriis nunquam inuenimus. Decurſus huius febris,

febris, tum ratione temporis, tum crisium et symptomatum, valde incertus est. Quae quidem differentia maxime a diathesi corporis et curatione pendet. Praecipue vero morbus per sudorem, vrinam et diarrhoeam iudicatur. Facile huic febri meteorismus, symptoma illud periculosissimum, adiungitur; quia materies morbi in primis viis latet et inflammationem erysipelatodem intestinorum produxisse verosimile est. Ceteroquin hae febres sporadice, tum etiam epidemice grassantur.

§. IV.

Caussae remotae harum febrium in erroribus sex rerum non naturalium, vita sedentaria, domicilio humido, alimentis crudis dyspeptisque; porro in moerore diuturno, venere immodica, abusu salium mediorum et generatim medicaminum purgantium aliarumque caussarum debilitantium potissimum sitae sunt.

Caussa proxima febris quaecunque polycholiam mouens.

§. V.

Ratione prognoseos notandum, bonum exitum curationis a diathesi corporis et gradu vis vitalis pendere. Si vires bonae, caeteris paribus, optimum euentum sperare licet; si vero hae labefactae sint, febres nervosae sic dictae malignae facile oriuntur.

CAV-

Cautelae circa harum febrium curationem.

§. VI.

I. Quo debiliores aegroti, eo cautiores in methodo euacuante esse debemus, quoniam maximam partem homines debilitati his febribus obnoxii sunt. Generalis sit itaque lex, vt omnia remedia debilitantia, quantum fieri potest, euitentur. Maioribus nostris etsi hae febres quam notissimae fuerunt, remediis tamen euacuantibus perquam parce et potissimum diluentibus largiter vti solebant. Commendatione clarissimorum virorum Stollii et Tissoti methodus euacuans praecipue in praxin vulgarem recepta, proh dolor! autem a multis male applicata fuit. In principio morbi per diluenria, in tempore critico vero per lenia euacuantia optime hae febres tractantur. Quidam nostrae aetatis in aliud extremum errarunt, et auctoritate viri cuiusdam magni ingenii methodum euacuantem plane condemnant, sordes semper effectum status febrilis esse, atque tantum homines debilitatos his febribus affligi contendentes. Roborantia, cardiaca et nutrientia aegrotantibus porrigi consulunt. Tempus

pus docebit; quantum fidei huic consilio tribuendum sit. Extra omnem dubitationis aleam autem positum est, gastricam materiam, vel effectum febris vel ex vitae genere praegresso productam, euacuandam esse, simulac turgescentem inuenimus; quia febris et omnia eius symptomata per hanc augentur.

§. VII.

II. Vomitoria et purgantia quam maxime nocent, quamdiu lingua sicca et status spasmodicus totius corporis, vt tremor extremitatum, rheumatalgia quaedam, cutis sicca, arida, anxietas, singultus, inquietudo, pulsus celer, paruus atque tensus, facies pallida, spasmus maxillae inferioris animaduertuntur. In quo statu antispasmodica optimo cum effectu adhibentur. Praecipua horum remediorum sunt, Ipecacuanha refractis dosibus, potio Riverii sub efferuescentia, spiritus Mindereri cum valeriana, camphora; moschus, balnea calida, clysmata emollientia ex semine lini et floribus chamomillae, cataplasma egregium sequens!

℞ Herb. cicutae concis.
Flor. chamomil.
Farin. sem. lin. aa. ℥i.
coquant. c. s. quantitate lactis ad consistent. cataplasmat.
cui adde
Olei lini ℥i.

cuius

cuius cataplasmatis dimidia pars viciſſim calide abdomini applicatur. His remediis rite adhibitis diaphoreſis quaedam benigna oritur, et plerumque omnia in meliora mutantur.

§. VIII.

III. Si ſordes mobiles et coctas inuenimus, euacuandae ſunt: magni tamen intereſt, vtrum primo emeticis an purgantibus eiiciendae; quod a rebus circumſtantibus pendet, an nempe ſurſum an deorſum turgeant. Euacuantibus non diutius vti licet, quam commodum manifeſtum afferunt: quod cognoſcitur, e. g. ſi inter criſeos ſocias, faeces atro virides, flauae, mucoſae, malique odoris ſint, ſi aegrotus poſt euacuationes quaſi recreatus, ſi dolores capitis et laſſituto vniuerſalis minuatur, pulſusque plenior, tardior atque fortior inueniatur: ſimulac autem vires aegroti minui incipiunt, euacuantibus abſtinendum ac infuſum amarum vinumque generoſum adhibendum eſt.

§. IX.

IV. Quam notiſſimum eſt, materiem huius febris non ex bile ſolum corrupta conſtare, ſed interdum etiam cum cruditatibus, vermibus, pituita coniunctam eſſe. Quo magis igitur materies ex bile corrupta conſtat, eo magis vomitoria, eo minus

minus purgantia iuuant. Bilem corruptam adesse iam a priori concludere licet, quia omnes febres gastricae eo acutiores sunt, quo magis abundantia bilis dominatur; eoque diuturniores, quo magis sordes pituitosae latent: quod quidem et ex signis bilis peculiaribus, vt ex vrina lutei coloris, lingua flaua, sapore amaro, anxietate praecordiorum et denique ex genio epidemiae petitur. Vomitoria hic purgantibus longe anteponenda esse, neminem fugit. Cl. STOLL in ratione medendi inquit: adeo purgantium repetitio hic nihil efficit, vt aeger potius peius se habeat. Indicationem specialem denique ad emeticum porrigendum sordes sursum turgescentes praebent. Si tamen timeas, ne emeticum diarrhoeam moueat, quod in aegroto dispositionem diarrhoeae habente fieri potest, ipecacuanhae grana quindecim cum vno vel altero granulo sulphuris aurati antimonii adhibenda sunt; ceteris in casibus tartaro emetico cum acidis vegetabilibus vtendum erit. Persaepe fit, vt emeticum porrectum neque vomitum neque diarrhoeam moueat, vrgente tamen necessitate materiem sursum euacuandi: quo casu sinapismus regioni vmbilicali applicatus optimum remedium est. Si aegrotus diarrhoea frustranea afflictus et indicatio emeticum adhibendi valde vrgeat, auctoritate

Cl.

Cl. STOLLII aegroto emplaſtrum theriacale regioni vmbilicali applicandum, tinctura thebaica interne adhibenda, ac deinde poſt vnius horae ſpatium vomitus ipecacuanha excitandus eſt. Lex notiſſima iubet, poſt finitum vomitum aluum reſerari debere: effectus enim emetici parui commodi eſt, niſi aluus finito vomitu euacuatur. Plurimis in locis STOLL affirmat, has febres emeto-catharſi ſanari. Medici practici itaque maximam partem emeto-catharcticum adhibent. Quod quidem in genere probandum, in quibusdam caſibus, e. g. ſi aegrotus viribus iam exhauſtus erit, plane tamen euitandum. Quo magis febris ad indolem inflammatoriae accedere obſeruatur, eo magis purgantia refrigerantia, vt ſolutio ſalis Glauberi, pulpae tamarindorum, decocta cremoris tartari indicata ſunt. Quo magis autem hae febres chronicarum formam induunt, eo magis purgantia roborantia eligenda, v. c. pilulae ex calomelle, extracto rhei et extractis amaris. In his purgantibus pro euphoria pergendum, minime autem ex lingua impura indicatio euacuantia continuandi petenda erit, dum hanc demum ex vſu roborantium puram fieri inuenimus.

§. X.

§. X.

V. Si saburrae euacuatae fuerint nullaque earum signa amplius appareant, tamen aeger adhuc febricitet, pulsus nimis celer ac spasmodicus, aliaque symptomata spasmodica adfuerint; verosimile est, partem quandam sordium in sanguine latere. Hic primo antispasmodica praescribenda, et deinde circumspiciendum est, per quas vias naturae materiam euacuare placet. Cl. LENTIN in libro: de aëre et morbis Clausthaliensium inquit: *euacuatis sordibus vbi nihil amplius impuritatum in primis viis appareat, et spasmodica symptomata adfuerint, vt singultus, tremor totius corporis, deglutitio difficilis, loquela sublata, surditas, facies hippocratica, deliria, summa anxietas et iactatio, hic diaphoretica prosunt, vt camphorata, balnea calida, moschus, spiritus Mindereri cum infuso radicis serpentariae Virginianae.* Eadem ratio medendi in eo casu locum habet, si rheumatalgia praesente vel iam absoluta febre primaria remaneat. Persaepe ex genio epidemiae indicatio medendi petenda, si haec nempe indicationem per diaphoresin auctam absoluere inclinat.

Saepe autem fit, vt vias, quas natura ad materiem euacuandam sibi eligit, nullo modo coniecturare possimus; quo casu cunctatores agere nostri officii est.

Di-

Diluentia cum refractis dofibus tartari emetici, ita vt neque vomitum neque diarrhoeam moueat, omnium optima funt, quia crifes nullo modo impediunt, et poft aliquot dies indicationes luculentiores plerumque inueniuntur.

Abufus remediorum foluentium et euacuantium non raro hanc febrem in intermittentem mutat. Quo cafu cortex Peruuianus pro conuenientia conditionum adhibendus.

Idem abufus euacuantium debilitatem, hebetudinem fenfuum, malam digeftionem et febrem lentefcentem relinquit. Roborantia v. c. cortex Anguflurae cum cinamomo, nutrientia ac vina generofa, motus corporis in aëre libero, corpus labefactum inftaurat.

Aliquando poft febrem tuffis cum vel fine fputis remanet, febriculamque adhuc animaduertimus. Sine auxilio naturae vel artis phtifis pituitofa fequi folet. Si febris male tractata, pulfus fpafmodicus, anxietas praecordialis fuerit, aegerque caeterum pulmones adhuc integros habeat, vomitorium adhibendum. Quod fi nullum leuamen affert, balnea calida, radix valerianae cum fpiritu Mindereri locum habent. Si vero aegrotus fputa copiofa eiiciat pulfumque debilem offendimus, decocto lichenis Islandici et deinde Anguflurae optimo cum effectu vti licet.

Si

Si in aegroto debili hac febre conflictato indicationes deorſum euacuandi adſint, purgantia roborantia adhibenda v. c. egregium illud remedium R. WHYTHII

℞ pulv. cort. Peruv. ʒVI.
coq. c. ▽ae fontan. ℥XVIII.
ad remanentiam ℥VIII.
ſub finem coctionis adde
pulv. radic. Rhei ʒII.
in colatura cum expreſſione ſolue
⊖lis Glaub. ʒII.
S. Quauis hora tertia cochlearia dũo ſumenda.

Cortex Peruuianus effectum rhei et ſalis ita auget, vt ſequente die propter nimium effectum doſis minuenda ſit. Hoc remedium faeculentas euacuationes efficit et aegrotum haud debilitat.

§. XI.

VI. Cum generatim homines debilitati huic febri praecipue obnoxii ſint, quod ex diatheſi corporis et vitae genere praegreſſo cognoſcitur, plane, vt iam dictum, omnia remedia debilitantia euitanda ſunt. Ita venaeſectio ad naturam huius febris minime accomodata eſt, quia diatheſis phlogiſtica has febres perraro comitatur. Maiores noſtri iam docuerunt, ſanguine bilem frenari i. e. homines robuſtos his febri-

febribus non obnoxios esse. Venaesectio itaque naturae huius febris plane contraria, dum neque materiam morbi euacuat neque corrigit. BALLONIVS *in constitutione hiemali* 1575 *inquit: in quorundam febribus melius est sexies pharmacum dare, quam semel phlebotomare, quia febrium natura in talibus mesenterio conclusa est, et non per venosum genus sparsa.* Cl. TISSOT in programmate de febribus biliosis p. 128. ait: *indicationes hic sunt, fomitem morbidum in systemate gastrico, intestinali mesenterico et hepatico extra vias circulationis positum, euacuare et viscera roborare: quid huc venaesectio?* GLASS, autor classicus, (de febribus commentar. VI.) dicit: *iis accedentibus venaesectio vtilis esse consueuit, quibus profluuium sanguinis sponte superueniens prodest.* VOGEL (acad. praelect. p. 57.) monet: *nisi aliae circumstantiae sanguinis missionem indicant, ob febrem ipsam non necessaria.* Si inconsiderate venaesectionem instituamus, praeter opinionem aegrotum mox debiliorem fieri videbimus.

Quidam tamen casus dantur, in quibus venaesectio mediocris multum commodi affert. Qui quidem casus praecipue ad sequentes referuntur.

α) Et homines robusti ex caussa epidemica febre corripi possunt. De venaesectione hic secundum res circumstantes adhibenda nemo dubitabit; plethora enim vera,

vera, athleticis hominibus propria in omnibus febribus, in quibus vis vitalis nondum celeriter labefacta ſit, vt in febribus ſic dictis malignis fieri ſolet, minuenda eſt.

Caueas vero, ne turgeſcentiam bilioſam pro vera plethora habeas. Si itaque ſigna plethorae verae adfuerint, primo ad primas vias reſpiciendum erit. Quando tunc multa ſigna ſordium turgeſcentium et proportio quaedam inter cauſſam et effectum adfuerit, purgantia neceſſaria ſunt. Quodſi vero plethoram veram ſine vllis ſignis turgeſcentium ſordium inueniamus, venaeſectio inſtituenda. Quo quidem caſu ſimul conſtitutio corporis attendenda; hac enim debiliori nulla plethora vera locum habere poteſt. Si cum plethora vera ſigna ſordium ſurſum turgeſcentium coniuncta fuerint, primo venaeſectio inſtituenda et deinde emeticum propinandum: vomitus enim in homine plethorico plerumque vomituritiones excitat, nullamque materiam corruptam euacuat. Sin autem ſordes deorſum turgeant, primum catharcticum propinare licet, quodſi nullum leuamen affert, ad venaeſectionem fugiendum.

β) Si febris gaſtrica ad genium inflammatorium accedit, vel cum inflammatione alicuius viſceris coniuncta eſt, venaeſectio remediis euacuantibus praeponenda, ſic

e. g. in pleuritide biliofa plerumque cum venaefectione initium curationis inire licet et poft eam emeticum porrigendum. Praecipue vero hic eo refpiciendum, num diathefis inflammatoria genio gaftrico potior fit? quod ex fuis fignis facile definire licet.

γ) Venaefectio inftituenda eft, fi fordes ex nimia febris vehementia immobiles fuerint. Plerumque nulla hic figna fordium in confpectum veniunt, pulfus plenior, durior atque fortior eft, vt generatim in febribus gaftricis non effe folet; conftitutio corporis bona ac gradus caloris maior, quam alias in his febribus effe confueuit. Venaefectio hic fpafmum, qui fordes retinet, laxat, et effufionem fordium iuuat: facilius etiam aegri vomunt poft venaefectionem, immo faepius durante fanguinis miffione in hoc ftatu vomitus fpontanei oriuntur. Hunc ftatum BAGLIVVS nominat *morbum fientem*, in quo faepenumero diagnofis febris gaftricae ab inflammatoria valde difficilis eft. Sanguinis miffio tamen nobis mox naturam febris declarabit, dum pulfus durante venaefectione celerius debilitatur, quam in febribus inflammatoriis fieri folet.

§. XII.

VII. Febres fic dicta pituitofa nil aliud eft, quam modificatio febris gaftricae. Morbus

bus ex ſequentibus ſymptomatibus luculenter patet: lingua alba, ſicca, ſitis fere nulla, pulſus debilis, paruus, ſine cauſſa tamen valde mutabilis, mox plenior, mox debilior, mox celer, mox tardus; quo autem pulſus tardior, eo peius aeger ſe generatim habet; habitus corporis pallidus, exhauſtus, vis vitalis valde imminuta, calor paruus, extremitates frigidae, deliria blanda, cutis arida, vrina pallida, pellucida, frequensque mictio, reſpiratio ſuſpirioſa, paucis, omnia ſymptomata debilitatis ſpeciem denunciant. Decurſus huius febris tarde progreditur ad plurimas plerumque ſeptimanas, et ratione vis vitalis valde diminutae non raro lethalem exitum habet. Omnia euacuantia, inprimis autem purgantia, hic maxime euitanda ſunt. Primo ſtatim ad vſum reſolventium roborantium confugiendum e. g. decoctum corticis Anguſturae vel ligni Quaſſiae cum ſale Ammoniaco, balnea calida, lotio corporis vino calido, frictiones totius corporis calidae panno laneo ſicco, inunctio abdominis cum linimento volatili omnibus aliis remediis praeſtant. Diaeta nutriens ac aromatica commendanda, vt iuſcula carnis, oua ſorbilia, interdum potus Coffeae ſaturatior, cum ſemine ſinapis anglici et alia huius generis. Vina generoſa ac regimen ſiccum et calidum magni hic vſus ſunt. Deinde ana-

analeptica diaphoretica, vt vinum Campanicum, ſerum lactis ex vino rhenano et ſinapi anglico paratum, liquor Elleri ſequens:

℞ Liquor. C. C. ſuccin.
Liquor. anodyn. m. H. aa. q. v.
S. ter quaterue de die guttae 40-50 hauriendae.

Porro Moſchus, eſſentia croci vel caſtorei etc. Denique ad conualeſcentiam aegroti facilitandam cortex Peruuianus primo forma infuſi frigidi, deinde pulueris cum cinnamomo aliisque aromatibus; limatura martis, aqua Pyrmontana tepide hauſta motusque corporis inter potentiſſima conualeſcentiae praeſidia iure merique referuntur.

§. XIII.

En! beneuole lector, cautelae, quas circa febrium gaſtricarum curationem obſeruandas tecum communicare volui. Notatu dignas eſſe, minime ibis infitias. Alias ſupereſſe haud leuioris momenti, nequaquam diffiteor. Eas tamen, quo minus nunc exponam, temporis vetat anguſtia iterque in deſideratiſſimam patriam feſtinandum.